



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 122. Tunc cæpit detestari & iurare quia non nouisset hominens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

§. 122. *Tunc capit detestari & iurare quia non nouisset hominem.*

Abyssus abyssum inuocat; Petrus de peccato in peccatum ruit, adeoque sibi funem peccatorum ne dit ut dicere possit: *funes peccatorum circumplexi sunt me*, qui enim semel deliquit audacior & paratior redditur ipsa sui impunitate ad sæpius delinquendum, vnde & tertio negat eadem facilitate, nec dubiam, quin sæpius negasset, si sæpius interrogatus fuisset. unde S. Augustinus, *Deo gratias*, inquit, *quia cessauit interrogatio, si non cessaret interrogatio, diu repeteretur negatio*. Qui per scalam cadit de supremo gradu ad imum decidit, ita fere in peccatis fit, 1. enim simpliciter negauit Petrus Christum. 2. cum iuramento, 3. cum execratione: peccatum enim pondus est quod semper ad inferiora trahit, & maiora peccata generantur ex minoribus, sicuti ex furtis obolorum deuenitur ad furta florenorum; hinc ad rapinam, tandem ad homicidia & larcinia.

Sed cur in tantum labi permissus est à Deo Petrus? 1. in pœnam præsumptionis eius, ex qua etiam pericula peccandi adiit & se contra ea non munivit. 2. ut in illo totum genus humanum posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia præualere, ac præclare in ipso exordio Ecclesiæ Pelagianus error confutaretur, qui sine gratia Dei opinabatur liberum arbitrium hominis posse bonum operari & in bono perseuerare. Certe aliud nos S. Petrus docet verbo & exemplo suo. 3. ut Petrus disceret, uti pastor generalis futurus Ecclesiæ compati pœnitentibus & largiri misericordiam; 4. ut in sublimi eo statu disceret humilitatem. 5. in solatium pœnitentiam ut Marcellini, Theophili & similibus, ne quis desperet de Dei misericordia, cum Christus Petro non modo tam facile ignouerit, sed etiam post lapsum tanta beneficia contulerit. 6. ut disceremus credere verbis Christi.

Domine Iesu scio & confiteor coram te & omnibus creaturis me multo maiorem esse Petro peccatorem, qui non in tria modo peccata incidi sed in mille & amplius, heu dolor; da obsecro gratiam ut cum Petro redeam ad pœnitentiam, & ea desceam antequam hinc inigrem, ne moriar extra tuam gratiam, & à te separet, qui cupio tecum viuere, & manere semper.

§. 123. *Et continuo gallus cantauit v. 74.*

Cantauit gallus & ita cantauit, ut Petro cantus eius proficeret ad salutem, & tanto amplius prædictio Christi confirmaretur & infallibilis appareret. sicut igitur hæc verificata est, ita verificabuntur & alia eiusdem de die Iudicij, de retributione malorum, æternitate pœnarum, stridore dentium & fletu &c. etiam si putent impij peccata sua fore semper occulta, & impu-

K

nita,